



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Ad uictoriam in organis psalmus Daud.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

agnosceret & iustificaret. Voce mea ad dominum clamaui, & exaudivit me de monte sancto suo. Hoc fecit, cum diceret: Infatua quaeso domine consilium Achitophel, & forte alias quoque quod non est scriptum: Nam, ut dixi, non in tribulatione, sed post tribulationem psalmum fecisse credendus est. *Davidis fides;* O fortis fides, ad iratum deum loqui, clamare ad percutientem se, confugere ad expellentem se, laudare susceptorem, gloriam, exaltatorem, quem derelictorem confudentem & opprimentem sengeris, dignissimum plane exemplum Christianae fidei. Ego, inquit, uadam, quo iturus sum. Quasi diceret, nescio quo uadam, hoc est, credere, committere se in tãtas tenebras, ubi quid de te futuro sit pernitius ignores, & tamen bene speres, atque exaudivit te non diffidas. Ego dormiui & somnum cepi, & exurrexi, quoniam dominus suscepit me. Quod pro mea meritate intelligam in hunc modum: Talis tunc eram, ut de mea uita, gloria, omnibusque meis rebus fueris desperatum: Similis eram mortuo, ac descendenti in lacum, quantum erat in re & specie coram hominibus, neque sane in me praeter fidem, quicquam uiuebat, nec aliud mihi uisum est, si restituerer in regnum, quasi de somno mortis, ac sepulchro resuscitarer. Nam ad hanc rerum sortem, & ad has portas inferi solet dominus deducere eos, quorum fidem tentare uolet, neque enim multum a mortuo differt, ista patiens. Aut si hoc non placet, age sit affectus iste: Fui submersus in hac tribulatione, & sicut profundo somno pressi, non sentiunt se uiuere, suntque mortuis simillimi, ita ego praenimia afflictione, in extasi fidei positus, externae huius uitae nulla fruebar consolatione, eramque iam fere mortuus, quo modo Gen. xlv. de Iacob dicitur, cum audisset filium suum Ioseph regnare in Aegypto, quasi de graui somno euigilans, non tamen credebat eis, adeo scilicet, in desperationem Ioseph apud eum uenerat, cum autem uidisset plaustra, & omnia quae miserat Ioseph, reuixit spiritus eius. Ita & hic Dauid sese reuixisse & exurrexisse dicit de profundo somno cordis, ac uelut morte. Nam de naturali somno & quiete ego fateor me non posse intelligere, sed & ipse Dauid, ij. Reg. xix. cum reuenteretur, ait: An ignoro me hodie factum regem super Israel, in quo manifeste indicat affectum, quem diximus desperati regni, quantum erat in re praesente.

Non timebo milia populi circumdantis me, exurge domine, saluum me fac deus meus. Hec iam reuocatus, dicit: Deinceps, non timebo mala, si tu mecum sis, ut psal. xxij. Exurge modo tu, & saluum me fac, sicut modo fecisti, estoque deus meus, tum nihil erit, quod metuam.

Quoniam tu percussisti omnium inimicorum meorum maxillas, dentes peccatorum contriuisisti. Caelus est enim populus cum Absalom factaque plaga magna, in die illa uiginti milium. ij. Reg. xvij. Et ita percussi ac contriti, qui eum iam deuorabant & conterebant.

Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua, Sela. Quasi diceret, Et si Semei cum suis dentes maledicos in me fixerint, dicentes: Non est salus eius in deo, praemittit mala tua &c. tamen solius domini est benedicere & seruare, cui soli gloria in secula. AMEN.

PSALMVS QVARTVS.

Ad uictoriam in organo psalmus Dauid.

Obscurissimus plane psalmus ante faciem meam, & uix alius tam uarie expressus, quae uarietas argumentum est, non dum reuelatae intelligentiae.

E ij Primum,

Primum titulum, quem deinceps quoque sapius habebimus semel uisum, *למנזעח* lamnazeach, ante diui Hieronymi translationem uersum ab antiquioribus. In finem, quod fere unanimiter expruerunt in Christianiam quem Apostolus uocat finem legis. Ro. x. dicens: Finis legis Christus ad quem omni credenti. Quem finem rursus dupliciter accipiunt, quod Christus & a lege tanquam finis & summa sit intentus, & legem ipse finierit, ut amplius nos ei nihil debeamus, seu, ut Philosophi peripatetici dicunt, finis quoque gratia cuius. Verum quid hæc ad titulum psalmi faciant, non uideo, nisi in uolentia, hæc distrahatur, & alia contrahas. Non enim omnes psalmi, qui hanc inscriptionem habent, de Christo loquuntur, nisi hoc de Christo sit loquens, quod est de quolibet opere gratiæ dei loqui, quod sine Christo nec magna nec paruum habemus. At tum oportuit in omni psalmo hanc inscriptionem inscribi.

Hieronymus deinde transtulit, Victori, tum secutum est ad uictoriam, quod Lyranus e Rabi Sal, sic putat intelligendum esse, uidelicet psalmum ad hoc factum, ut leuitæ cantores, alternis choris cantantes, niterentur se uicem superare, mensus forte diuinam illam Davidis melodiam ad laudem dei institutam, ritu clamorissimorum hominum, qui in templis nostris Cathedralibus, chorales uocantur, qui cui cantent, ignoro, lapidibus & lignis eos boare audio. Atque tum concordans illud, quod alij in finem inscripserunt, dicit hunc esse finem, uictoriam, scilicet clamoris, quam chorus uictor futurus hoc psalmo cantando (iubente scilicet Propheta) quaesierit: etiam ista ludere possunt tanto serio doceri.

Legimus autem libro. j. Paralipom. xv. fuisse instituta a David tria genera cantorum: Vnum quod nabilis, hoc est, Psalterijs caneret. Alterum, quod Citharis, seu, ut uariare solet interpres, lyris. Tertium, quod cymbalis æneis concreparet, his pro tempore addebantur buccina & tubæ. Atque tertium illud genus, ibidem scribitur institutum, ut caneret in citharis super organam lamnazeach, quod transtulerunt Epinicion, id est, carmen uictoriale. Inde forte uenit quod lamnazeach, transfertur ad uictoriam, quod psalmis, eiusmodi titulo insignis, sit Epinicion. Hic meam confiteor ignorantiam: Nam si hæc ita habent, nescio, quare non & omnes alij psalmi, Epinicia inscribantur, qui uel eadem uel maiora in hæc sententiam, quam hic psalmus & sui similes continent. Tum quæ sit illa uictoria in psalmo cantata, iterum uarium erit, alijs Christi uictoriam celebrantibus, alijs uero cuiuslibet Christiani in passione, seu tentatione positi.

Ioannes Reuchlin in sua septena transfert: Ad inuitatorium, quod uelle, eius generis psalmos esse quædam incitacula ad expergefaciendum, exhortandumque spiritum hominis, atque huic origo uocabuli, mire quadrat. Nam Naza, instetit, sollicitauit, coegit, urgebat, significare dicit, ut *Esdre. iij. Vt instarent super eos, qui faciebant opus domini. Et iterum, ut urgerent opus domini.* Sed & res ipsa psalmi non abhorret, quod meo iudicio hic psalmus sit, mere exhortatorius ad opus domini, id est, ad crucis & mortis tolerantiam. Verum an constans & perpetua sit hæc tituli ratio per omnes psalmos, lectoris relinquo & curæ & iudicio. Ego hoc libens accepto, esse idem Epinicion & inuitatorium, quandoquidem solent id genus carmina triumphalia mure accendere & extimulare animos ad bellum, ita & psalmi ad crucis, tum bella, tum trophea fortiter animant fideles Christi. Atque ita & ego possum

Cantores da
mosi.

De Davidis
tribus musico
rum generibus.

omnia conciliare: Ad uictoriam, uictori, ad inuitatorium, In finem, quod omnia huc spectent, ut animati hoc spiritus incitabulo, uincamus, & finem obtineamus hostium & omnium peccatorum, quo non superfit, nisi triumplus gloriæ.

In organo, non est dubium genus pro specie, id est, citharis, accipi. Dicitur hoc loco nomen commune in hebræo, ad omne musicum instrumentum. De laude & uirtute musicæ sileo, quæ ab alijs abunde tractantur, nisi quod hic apparet, usum musicæ fuisse olim sacrum, & diuinis rebus accommodatum, successu temporum (ut omnia) in luxus & libidinis seruitutem redactum. Nam hinc spiritus malus Saul pellabatur, j. Regum. xvj. Et Heliseo spiritus propheticus dabatur, iij. Regum. iij.

Musices usus sacer olim, in nostræ Eccle siæ errore ad turpē luxum redactus.

Varie (ut dixi) hic obscurissimus psalmus expositus est. Augustinus, aut uerba Christi post resurrectionem, aut hominis in Ecclesia credentis & sperantis in Christo esse credit, Liram & Burgeñ. omitto, quorum ille de Dauid contra Saulitas, hic contra idolatrias eum accipit. Hieronymus arbitratur non nisi de Christo intelligendum, Singulæ horum interpretationes extra captum meum sunt, sequar spiritum meum, & abundabo in sensu meo, citra cuiusque præiudicium. Ego somniaui mihi, hunc psalmum esse generalem quandam exhortationem ad totum populum dei, præsertim eos, qui operum & uiarum dei ignari, crucis sapiētiā exhorrent. Inter quos primi fuerunt & sunt Iudæi, filij Israel, quos maxime oportuit in hac re esse peritos. Nam, ut Ro. iij. Apostolus dicit: Scimus, quæcumque lex loquitur, ijs qui in lege sunt, loquitur. Quare Dauid una suarum tentationum, uel multis potius probatus, exemplo suo docet, quid agendum sit, & quo modo habendum in quacumque tribulatione. & sic iuxta titulum, erit psalmus exhortatorius ad uictoriam, quod & ipsa uerba indicant, quibus sese doctorem illorum ostendit, dicens: Filij uiri scitote, trahimini, sacrificate, sperate &c.

CUM INUOCAREM exaudiuit me deus iusticiæ meæ.

Statim ab initio molliculos & querulosos erudit suo exemplo docens, non alio curendum, sed dominum inuocandum in tribulationibus qui buscumque. Quoties, inquit, inuocaui, inuocaui autem quoties tribularer (ut psal. cxix. Ad dominum cum tribularer clamaui) toties me exaudiuit, adeo uel delictis clemens & promptus est misereri dominus clamantium ad se, ut quid ergo uos molliculi omnia repletis querimonijs, uana solatia quaritis, ad hominem cōfugitis, & hoc unum remedium nescitis nec quaritis?

Obserua diuinum artificem & rhetorem incomparabilem, eodem exordio tria facit: Primo, ad filios hominum uersus, ac fraterna charitate pro eis sollicitus, docet quo fugiendum sit tribulatis, atque id proprio exemplo, & modestissima iactantia. Ego, inquit, sic solitus sum facere, quod & uobis faciendum arbitror. Secundo, ut reddat eos beneuolos & obsequentes, diuinam simul commendat clementiam, exaudiuit me, inquit, quod d. persuasum habeo, quod & uos sitis clementissime exauditurus, modo uos audeatis & inuocetis. Tertio, quod principale erat, sicut optimus Orator a gratitudine & laude incipit, qui est apud deum & homines optimus beneuolentiæ captandæ modus. Sic enim

Artificium orationis diuini spiritus.

E iij iubemur